

coegit. Alii in alto pugnatum dicunt, ac centum fuisse, 1124 non amplius hostium naves, concursumque utrinque magnis animis, atrocique prælio per aliquot horas dimicatum; demum victis hostibus, prætoriaque navi cum multis aliis capta, Venetum victorem Jopensibus mare aperuisse. Paucis deinde diebus interjectis decem onerarias ejusdem gentis preciosis mercibus onustas, in alto affecatum oppressisse: præda, quæ dives & ampla fuit, socios navales, milites, ac remiges ditavit.

Secundum hanc viatoriam tradunt quidam, Michaelem Hierosolymam venisse, ubi benigne a Varinundo Antistite & aliis congratulantibus, quod incolumi classe in Syriam venisset, & quod hostem vix bene visum mira celeritate vicisset, sit acceptus. Ibi aliquandiu inter duces de ratione gerendi belli actum: quæ consultatio quum aliquot dies tenuisset, nec eis omnino conveniret, quam potissimum urbem aggredierentur, tum demum ferunt, Michaelis consilio ad divinas fortes recursum, atque ita forte constitisse, Tyrum in primis oppugnari oportere. Sortium, de quibus loquor, ratio hujusmodi fuisse traditur: ut nomina oppugnandarum urbium in proximam aram temere conjecta, manus rufis adhuc pueri miscerentur. Inde divinis rebus rite procuratis, puer ille unam ex schedulis, quibus singulis singularum urbium nomina inscripta essent, ad conspectum Principum deferret; apparuit ea ratione, ut dixi, a Tyria oppugnatione bellum inchoandum. Fuit Tyrus olim insula, ac præalto mari septingentis passibus a continenti divisa. Alexander Philippi filius, quum locum oppugnaret, omnino continentem fecit: clara suo partu, claris urbibus genitis, Lepti, Utica, & illa Romani Imperii æmula Carthagine, Gadibus quoque extra orbem conditis. Patet insula decem novem millium passuum circuitu: ab Alexandro obsidione & operibus septimo mense expugnata. Loci nobilitas in conchylio & purpura, cuius rei gratia non solum a Regibus, sed a Romanis quoque sunt loci incolæ libertate donati. Oppidum ipsum duo habet & viginti circuitu stadia. Ejus conditorem Agenorem priisci Beli filium memorant, ac Saram

*Obsidio Ty-  
ri terrestris  
& mariti-  
ma.*